

instrumento restauri uni vel pluribus. ¶ Si vero anni Domini millesimus<sup>1)</sup> indictio ac dies alicuius instrumenti contingerentur et positi essent sive scripti in aliquo alio instrumento extimarie, vel in aliquo instrumento venditionis aliquorum bonorum, per commissarios venditorum ad incantum, autenticato et vicedominato, quod eidem instrumento extimarie et omnibus annis Domini et millesimis positis et scriptis in tali instrumento adhibeatur et adhiberi debeat plena fides, prout si instrumenta de quibus fit mentio in tali instrumento extimarie apparent. ¶ Item quod, si in aliquo alio instrumento facta fuerit mentio alicuius alterius instrumenti et appositi anni Domini alterius instrumenti, et talia instrumenta de quibus fieret mentio non apparent in iudicio, quod anni Domini ipsorum instrumentorum non apparentium non preiudicant nec preiudicare debeant alicui persone habenti questionem, nisi fuerint anni Domini instrumentorum extimarie ut dictum est. ¶ Si vero aliquod instrumentum sive scriptura aliqua facta extra civitatem et districtum Tergesti per aliquem notarium forenssem appareret in iure, de quo instrumento vel scriptura // (si non appareret littere de notitia et fama notarii, videlicet quod talis notarius esset notarius bone condicionis et fame, quod ipsis litteris non apparentibus, tali instrumento uni vel pluribus nulla fides adhibeatur.

Cap. XLI. Rubrica de instrumentis vel aliis publicis scripturis reficiendis. Et de fide adhibenda eisdem. R.ca.

Ordinamus quod, si qua persona peteret coram dominio Tergesti refici sive iterato reduci in publicam formam aliquod instrumentum preceptum vel aliam scripturam, quod primo antequam refitiatur citentur vel cridentur persone seu persona obligate sive obligata vel nominata in eisdem seu heredes ipsarum personarum, super scalis palatii comunis et ante domum eorum habitationis, quod comparere debeant usque

<sup>1)</sup> *millesimo.*